

3+4/81

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXI

VARIVS
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis :
(annuum)

In Helvetia	Fr.
In Germania	DM 16.--
In Austria	8S 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographaeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

Schweiz	Fr.	12.--
Deutschland	DM	16.--
Oesterreich	8S	120.--
übriges Europa	Fr.	18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

PRÆFATIO

Iam prioribus libellis, cari legentes, vos
orabam, ut ratas partes vestrā manu Latine
scriptas Rumori Vario publicandas mitteretis.
Cui desiderio adhuc - deplorabile dictu ! -
pauci vestrum obsecuti sunt. Quod cur ita
sit, non intellego. Non dubito, quin sint
vestrum nonnulli, quos aliquas lineas Rumore
Vario Latine nobis publicandas scribere de-
lectaret, nisi nescio quō metu a proposito
abhorrerent! Quibus omnibus nunc denuo dico:
Nihil timeatis! Scriptorem vel poetam Lati-
num animis vestris insidentem Latine scri-
bendo e somno excitate! Nolite vereri, ne
vestrae ratae partes, si fortasse aliqua men-
da contineant, vobis ante oculos legentium
dedecori sint! Quod fieri non poterit! Habe-
mus enim amicum Emanuelem Bernard, qui a col-
legio redactorum corrector constitutus menda
emendaverit antequam hoc libello publicabun-
tur! Num creditis meas etiam sententias La-
tine scriptas, quibus cuiusque Rumoris Varii
praefatio componi soleat, semper lapsibus
grammaticis orthographicisve vacare, cum eas
primum stilo chartae (Papier) albae mandem?
Minime! Quaecumque in hoc libello me auctore
impressa invenietis mendis carentia, erant -
etiam haec! - sententiae interdum mendosae
antequam ab Emanuele Bernard emendatae offi-
cinae typographicae (Druckerei) imprimendae
traditae sunt! Quid ergo diutius nobis scri-
bere cunctamini? Nil obstat quin audeatis!
Paucis diebus ante ratam partem formā epis-

tulae ab amico nostro Alfonso Birchler in vico nomine "Reichenburg" habitante accepimus. Quae vobis exemplo sit! Clarissime demonstrat, quo modo etiam vos, cari legentes, ad iucundam legentibus varietatem ratarum partium, qua noster libellus completus sit, contribuere possitis. Invenietis hanc epistolam - inter nonnullas ratas partes aliorum auctorum - in paginis subsequentibus. Legite, tum virtutem Alfonsi Birchler scribendo aemulemini (aemulari = nacheifern)! Quis vestrum primus scribet? Curate, ut valeatis!

Ulricus Aeschlimann

* * *

Aliquando, cum calido die aestivo trans silvam post domum meam sitam ambularem, tentorium animadverti, quod pueri vicini fortunam experientes exstruxerant, ut in eo noctem degerent. E tentorio voces puerorum audiebantur: "Sub cubili meo lapis mihi molestus" unus ex iis lamentabatur. "Cur eiuleris (eiulari = jammern), non intellego" alius respondit. "Ego in radicibus cuiuspiam arboris iaceo! Utinam domi in pulchro lectu meo iacerem!" - "Et ego", assentivit tertius, "domi esse malim. Frigeo et terribili siti crucior. Ergo venite, domum revertamur!" Tum is, qui voce sua imperante dux puerorum esse videbatur: "Quid? Domum redire vis? Esne tu dementia captus? Si nunc domum revertimur, parentes nobis veniam pernoctandi in tentorio non iam dabunt!"

* * *

Datum mense Februario

ALFONSUS BIRCHLER redactoribus RVMORIS VARIII salutem.

Pro epistola vestra gratias ago. Facile mihi erat scriptum Germanice reddere. Difficilius est Latine respondere. Usus linguae Latinae mihi omnino deest.

Opus esse mihi videtur me introducere apud vos: Septuaginta sex annos natus sum. In Gymnasio Sarnensi Subsylvaniae L annis ante profundo amore linguarum antiquarum captus eram. Patris morte improvisa valetudinem aliquamdiu amisi. Opportebat pulmones temptatos curari. Mox sanatus, quam celerrime documentum maturitatis (in schola "Juventus", Turici) adeptus sum. In officio mihi odioso mercatoris XL annos perseveravi.

Nunc liberatus sum et deliciis meis me totum dedere licet, i.e. studio linguarum et scientiae amabili (Entomologiae nomine). Quod propositum est, adsequi possum Rumore Vario legendo.

Novellas RVMORIS non solum miror, sed admiror. Vivant sequentes!

Salutem vobis dicit

Alfonsus Birchler

P.S. Subnoto omnes numeros priores RVMORIS VARIII meo sumptu.

DE TEMPORIBVS LONGE REMOTIS

narrationis pars altera

Confabulationem repetiturus sum superiore libello incohatam, qua de rebus agitur, quas prima pueritia, plus LX annis ante, VIII annos natus expertus sum, postquam ferias aestivas acturus Turicum adveni, neque de omnibus hoc libello diebus, sed de primis tantum narrare mihi est propositum.

Meministisne, cari legentes, me cum amita, postquam e statione "Enge" exierimus, domum tramvia electrica vectum esse magnopere vehiculum illud stupentem ut numquam antea visum?

Tramvia visa animum mihi tantopere commovit, ut, vix ad domum deversus, ab amita veniam petiverim foras eundi paululum. Veniā autem impetratā, non paululum modo foras ii, sed statim ad plateam "Hegibach" descendi tramviam spectatum, nec spectatum modo, sed ut veherer. Mox tramvia colore caeruleo picta advenit. Escendi. Vecturarius roganti, quo vehi vellem, audacter respondi: "Bellevue", quod nomen memineram. Vix credetis, amici, quanto gaudio vectio me affecerit. Quam rem iucundam et excitantem! Quam dulce sussurabat currus vehens! Quam velociter vehebatur! Per fenestram suspensio animo spectabam homines ambulantes, carros, birotas (Velos); omnia praetervolare videbantur. Quam concitatus eram re, audacia mea et periculo! Mox, decem

fere minutis post, vecturarius (Schaffner) "Bellevue" pronuntiavit. Descendi corde palpitante stabamque mediā in urbe magnā, pulcherrimā et vastā in plateā, lacum fulgentem prospiciens. Res et fortuna mea mihi vix erat credibilis. Attamen inerat aliquid anxietatis animo. Mala conscientia me vexabat et solitudo. Itaque parumper moratus tramviam proxime advenientem escendi domum reversurus. Amita, cum advenissem: "Diu", inquit, "moratus es? Ubinam fuisti?" - "Ad plateam Hegibach descendi, nihil ultra, tramviam spectavi". - "Intellego. Placet tibi tramvia, non miror. Sed cave, ne longius iterum domo abeas! Periculum est, ne rediens itinere deerres." - "Cavebo", inquam, et indolui, quod mendacium dixeram bonae amitae.

Vespera sobrina (Kusine) advenit, quam mirabar velut angelum de caelo missum. Me maior natus erat decem annis, puella nitidissima, dulcissima. Amore eius statim captus sum. In insula beatorum me esse iudicabam: iucundissima domus, homines omnes amicissimi, sobrina denique filia vere angelica! Me patriam desideravisse, dulcissimam matrem? Ne in somnio quidem! Manere, ubi essem, in omnia tempora manere cupiebam, aliud nihil. At ne mentiar! Matrem quoque, materculam amatissimam mox adfuturam sperabam beatitudinis meae participem. Profecto iam vespere hora advenerat cubitum eundi. In lecto quamvis molli meo somnum capere diu nequiebam imaginem sobrinae continenter animo volvens. Cur non licebat mihi puero unā cum illā dormire in lecto eius, filiae adultae? Obstabant mores et consuetudines, quarum quidem causas non intellexi. Tristitiā affectus tandem obdormivi.

Postridie mane, cum e somno experrectus essem, iam dies lucidus fulgebat per fenestram. Surrexi: "Ubinam 'Miggli' est, sobrina mea?" interrogavi amitam. - "Abiit", inquit, "ad tabularium, ubi laborat, ut cottidie." - "Ubi est tabularium?" - "In via stationis. Vesperi revertetur." - "Non ante vesperum?" - "Non antea, mi puer." Tristis denuo eram cogitationibus plane immersus. Quibus cogitationibus amita me subito eripuit imperans, ut se adiuvarem ad conficiendos labores domesticos. Philosophus nondum eram puer octo annos natus, ut labore tristitiam tolli scirem, sed naturā duce strenue laboribus incubui. Et quod miraculum! In minutas alacrior et laetior fiebam laborando amitamque adiuvabam, impigre purgans tapeta omniaque, quae purganda erant tanto impetu tamque bona voluntate, ut amita valde me laudaret, laudemque meam mox mulieribus etiam vicinitatis promulgaret. Qua laude gloriaque magis magisque stimulatus sum ad amitam quam optime adiuvandam, ita ut numquam se diceret tam alacrem impigrumque adiutorem quam me habuisse egoque in dies magis, ut eius laude dignus essem, operam darem.

Aliquando, calido die aestivo, amita interrogavit: "Dic, quaeso, nonne ad balneas ire cuperes? Balinae sunt nomine "Utoquai" ad lacum sitae." - "Cupio", inquam, "amita mea. Sed qua via, nescio." - "Quā viā? Comitabor te." Vetus cinctorium balnearium (Badehose) mihi dedit et descendimus ad lacum. Memini adhuc, qua via descenderimus: Neu-

münsterstrasse, tum Feldeggstrasse. Ad balneas "Utoquai" cum me dimisisset, interrogavit: "Reperies viam retro?" - "Reperiam," inquam. - "Aliter hominem aliquem praetereuntem interrogabis. Salve, mi puer! Et cave, ne in aquam profundam intres! Manebis in parte illa piscinae, quae natandi imperitis destinata est!" - "Noli curare, amita, timidior sum quam ut periculum subeam." Et intra vi balneas commotus novitate rerum et circumspiciebam. Sub me piscinam vidi, supra me caelum apertum, circum me seriem cellarum vestimentis mutandis destinata, aedes totae lignae. Cellam vacuum repperi extremam ad lacum versus. Intra vi. Calceos, bracas, camisiam, interulam exui et cinctorium balnearium indui. Fenestella erat (parvula fenestra), per quam spectabam videns lacum caeruleis undis motum, multis natantibus frequentem. Longe lateque capita et brachia natantium undis exstabant alacriter mota et clamorem laetum audiebam natatione gaudentium. Mox cella exii cinctorio insueto indutus spectans circum, sursum, deorsum: Totae erant aedes satis amplae (suntque adhuc), sed altae non plus XV pedes, constructae ratione ea, ut nihil fere aliud contineant nisi cellarum fere XXX seriem quadratis angulis applicatam. Supra cellas erat tectum planum apricandi facultatem praebens. Mediae autem aedes sine tecto sunt ita, ut caelum videatur quadratum. Quadratum nimirum apparet ex aedibus quadratis spectanti! Vel ut

accuratius dicam: quadratum apparet, si aedes sursum apertae sunt formā quadratā. Quadratā formā piscina quoque est VI pedibus infra seriem cellarum porticumque angustum, qui secundum cellas circumducit. Quam iucundam porticum, quam iucundum tumultum et clamorem, quam beata tempora ibi consumpta! Quam beatos dies aestivos! Etiam nunc balineas "Utoquai" frequento, ut memoriam pueritiae resuscitem.

Sed narrare pergam! Descendi ad piscinam et tabulam vidi inscriptam monentem piscinae partem esse alteram natandi peritis destinatum, alteram imperitis. Nimirum non ignorabam, quam in partem intrarem. In ima aqua solum conspexi asseribus formatum. Cautē aquam intrabam tremebamque anxietate. Exsultabant in piscina pueri nonnulli laete clamantes ludis dediti. Conspexi exitum in lacum arcūs formā et supra eum inscriptionem monentem: "Cave lacum, natandi imperite!" Procul abstinebam quietus, dum solum sub pedibus sentiebam, aqua mihi non altius veniente quam ad umbilicum (Nabel). Iuvabat (machte Freude) in aqua stare, bracchiis aquam movere, lentos passus facere, guttis spargi, interdum profundius, usque ad collum, immergi. Tum autem, cum alios pueros natu me non maiores impigre natare viderem, ego quoque natare conabar, sed frustra.

Subsequentibus hebdomadibus (Wochen) cottidie fere ad balineas "Utoquai" veniebam natandoque studebam pertinaciter, bracchia et crura natantium modo agitans. Et advēnit aliquando dies, cum, pro Iupiter! tres passus longum natu mihi contigit. Quo eventu valde gavisus domum cucurri, ut nuntium gloriosum afferrem. Amita vix credens mihi prima gratulata est.

Vesperī autem totā familiā praesente magna voce et gaudio laudabar. Sobrina, cuius laus pretiosissima mihi fuit, frustum chocolatae basiumque mihi praemium dedit, ultro affirmans aetate mea se natandi peritam nondum fuisse, meque certo puerorum Curiensium primum esse natandi peritum.

Feriis Turici peractis cum Curiam revertissem, apud sodales me trans lacum Turicensem natavisse mentiebar vario eventu: amici se credere fingeant, inimici me verum dicere negabant, crudeliter me irridentes. Quae res documento erat praestare non gloriose mentiri neque omnino de se verba magna facere.

Plura, si placebit, de feriis Turici actis narrabo libello proximo.

Dr. Emanuel Bernard

* * * * *

Franciscus, ortu filii, primae progeniei, pater felix factus, patri longas epistulas scribebat, quae nihil continebant nisi nuntios de admirabili novo nato suo optime valente. Pater Francisci autem, cum litteris suis remissis saepius interrogavisset, utrum Franciscus ipse valeret, neque umquam responsum ad hanc quaestionem pertinens accepisset, moleste ferens denique Francisco scripsit: "Valde gaudeo, mi fili, tua progenie sanis moribus praedita. Egomet numquam talem filium habui."

* * *

a d l i b r a m :

1. bellorum (verbum mediae latinitatis)
9. auxilio venite
10. gladiatores emeriti
11. sustine
12. pars corporis interioris
13. nubis
15. particula interrogativa
17. cunctorum
19. iumentum (radix huius verbi)
20. coniunctio
21. cognomen Herculis (acc.)



a d p e r p e n d i c u l u m :

1. vadum (verbum mediae latinitatis)
2. ad vescendum aptus (dat. sing.)
3. cachinnamini
4. cucurri
5. Biturigae
6. frequenter (contrarium)
7. coniunctio
8. pronomem possessivum (gen. sing.)
14. onus fero
16. mercare
18. eodem modo

Aenigma

QUO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QUODQUE AENIGMA
RECTE SOLUTUM ET RUMORI VARIO MISSUM AD SOR-
TEM REVOCABITUR! DIES ULTIMA KALENDIS MAIIS
EST!

PRAEMIA SUNT : primum praemium : Liber
secundum praemium : Libellus
tertium praemium : Libellus

1	2	3	4	5	6	7	8
9							
10							
11				12			
13			14			15	
					16		
17							18
		19					
20							
21							

S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus.

Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient :

primum praemium: Alfons Birchler
"Burg"
8864 Reichenburg SZ

secundum praemium: Helga Spiegel
Wingatstr. 14
A-6850 Dornbirn

tertium praemium: Bernhard Christen
Solothurnstrasse 21
3322 Schönbühl BE

1	R	U	M	O	R
2	U	M	O	R	I
3	M	O	T	A	S
4	O	R	A	T	U
5	R	I	S	U	S

Cari amici linguae Latinae,

Ulricus Aeschlimann, clarissimus ille praefationum compositor, nuper vos certiores fecit me ludo televisorio, qui "Tell-Star" inscribitur, ut interfuisse ita haud parva calamitate victum esse a Felice Zürcher, viro non modo magna scientia rerum praedito, sed etiam hilari et amabili animo affecto. Tamen emissionem televisoria iam pridem finita gaudia accipiebam - et accipio! - permulta: Quotiens ingemuerit homo tabellarius (1) in afferendis epistulis, ne dei quidem numerare possunt. Per dies nonnullos nullam rem nisi respondere scribendo curabam. Variarum ac diversarum causarum scribendi hominibus: Alii Mani Matterum eiusque carmina admirantes, ut narrarem de poeta illo Bernensi, optarunt, alii - nec erant pauci! - , amici linguae Latinae "ad-morsi" (2) qui sunt, RVMOREM VARIIVM legendi cupidi erant, tertii immo, ne dicam tertiae (!), mei cognoscendi causa epistulas valde cordiales miserunt. Inter quas sunt, quae et hodie singulam fere in hebdomadem scripta mentem et animam delectent.

Puella quaedam Turicensis epistolam a me quaesivit, num vertendi essem potens carminis Matteriani, quo de viris narratur duobus Alpes transvolare conantibus. Quod cum primo respondissem paene fieri non posse, tamen Musas temptavi. Utrum contigerit mihi necne, vos, cari legentes, nunc diiudicatote!

De volatu trans Alpes

(Dr Alpeflug)

In aëroplano duo viri Alpes transvolarunt, admirati montes altos albas glacies spectarunt. Sedet vectus vir post illum, qui volantis est vector machinae. Rumorem facit atque strepitum motor.

Sedens post vociferatur: "Nobis deficit benzina!" "Quid tu", inquit, "clamas?" alter. "Num ti opus medicina?" "Quid dixisti?" clamat ille. "Cur tu non appelleris?" - "Nil accipiam, tu maiore voce nisi dixeris!"

"Intellegere non possum, cur resistas!" clamat vectus. "Intellegere non possum, cur susurres!" turbā tectus. "Quid clamasti?" dicit ille. "Diu non volabimus!" Vector: "Nequeo audire tantis in strepitibus!"

"Quaeso, audi!" clamat vectus. "Hercle, nil deliberandum!" "Parce nervis!" clamat alter. "Tibi plus vociferandum!" Ille: "Valli incidemus, nisi appulerimus!" - "Quicquam non possum audire! Ne tu sis stultissimus!"

Sic motore strepitante non benzina iam adesse vidit vector neque se sic appellendos duos esse. At tum requies fit dira, quod benzina deficit. Cum audiri possent bene, nunc uterque tacuit...

Mani Matter composuit
Martinus Meier vertit.

Legende zum Text: 1 homo tabellarius = Briefträger
2 "admorsus" = "angefressen"

Infra sequitur rata pars a Dr. Jürg Bleiker scripta, quae demonstret linguam Latinam disci non posse nisi studio regularum grammaticae, per-multorum verborum, declinationum coniugationumque.

Collegium redactorum.

GAVDETE! GAVDETE!

Incipit nova aetas, aurea aetas, aetas tot discipulis toto orbe terrarum exspectata! Haec est aetas, qua paucissimis emendationibus omnes linguae Latinae difficultates tolluntur: Non iam sudabis, non iam stomachaberis, non iam impias voces iactabis. Linguam Latinam si adhuc oderis, depone ineptas curas tuas: plus oculis tuis illam amabis. Quomodo id fiat, fortasse requiris. Statim tibi, care lector, demonstrabo. Lege, sodes, hanc sententiam, lege celeriter, quamvis sententia theodisca lingua scripta esset:

Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti Murice, iam croceo mutabit vellera luto, Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.

Horumne verborum recordatus es? Optime. Numquam ea vidisti? Nil obstat. Et tu, qui iam legisti, et tu, qui numquam legisti: Precor transferas in Germanorum linguam. Quid moraris? Celerius loquere! Quid? Num tibi desunt vocabula? Vocabula nescis? Aries, croceo, murice, vellera, luto, sandyx quae sint, quid significant, nescias? - Ne desperaveris, mi lector. Ad bivium venisti. Modo antiquo (quem tam bene noveris) magister te docebit, vocabula memoriae mandabis; nisi tenueris, vituperaberis... Modo novo, modo aureo, modo meo te ab omni animi perturbatione liberabo.

Quid ergo? Nescisne vocabula? Cuius autem culpa? Certe non culpa tua, optimus qui sis homo. Hoc est augurium meum: Poenam totam meret lingua Latina, quae tot vocabulis uti audeat. Audi nunc principium primum Novae Linguae Latinae: Plus duodecim vocabula non admittuntur! Sunt autem haec illa duodecim vocabula:

puer, puella, res,
 bonus, malus,
 sum, habeo, facio, audio, video, amo
 non

His duodecim vocabulis omnia contineantur, ut mox perspicias. Incipiamus moveri in finibus novis. Certe novisti illam pulchram puellam, cui nomen est Doris de Agostini? Quae fortasse victoriam adipiscetur illo terribili certamine quod in verborum indice translatum invenis "pro-

fectio"? Si tandem victoriam adeptam sit (cogita has paginas scriptas esse mense Decembri anno proximo), nos omnes clamabimus: puella bonus! puella bonus!

Video me oblitum esse tibi indicare, quod sit principium secundum: Genera non sint! Ideo antiquo tantum modo dicere cogeris: puella bona. Novo (aureo, meo) modo dicere sufficit: puella bonus.

Progrediamur ilico ad tertium principium: Declinationem, cui tantam operam dare necesse erat, aboleamus. Uno ictu quantum proficiamus! Confer:

	antiquo modo		novo modo	
	Sing	Plur	Sing	Plur
Nom	puer	pueri	Nom	puer
Gen	pueri	puerorum	Gen	puer
Dat	puero	pueris	Dat	puer
Acc	puerum	pueros	Acc	puer
Abl	puero	pueris	Abl	puer

Multi discipuli, cum antiquo modo cruciarentur dementibus variationibus, insuperabilem claritatem novi modi admirantes gaudebunt.

Maiores gradus conemur: "Video puerum bonum": nunc legas "video puer bonus". "Audio puellas malas": nunc legas "audio puella malus". "Rebus pulchris delectabor": nunc legas "amo res bonus". Facillime intellexisti ex proximo exemplo, quid sequi debeat: et coniugationem aboleamus. Hoc

est principium quartum. Quantis tormentis liberaberis, confestim concedendum est:

antiquo modo: video	novo modo: video
videbo	video
viderit	video
vidistis	video
vidissent	video
videberis	video
visa sit	video
etc.	etc.

Quam facile nunc transferas "ihr hättet den schlechten Kerl nicht geliebt": non amo puer malus". Vel "du wirst das hübsche Mädchen nicht gesehen haben": non video puella bonus.

Tres lineas in principio demonstratas metrico modo scriptas esse sine dubio percepisti; cum et metrica ars tibi odio sit: tollatur!

Quattuor principiis ergo omnes fere difficultates ex oculis elapsae sunt. Gaudeamus, quod ea pars, quae ad "linguisticam" pertinet, tam audacter renovata sit. Haec cum digesta sint, proficisci conemur ad alteram partem, quam "litteraturam" nominant. Omnia nostra commoda iam clarius perspicientur.

Quis non transtulit illas odiosas descriptiones, quae de pugnis Romanorum agunt: "Nachdem die Germanen die Nacht hindurch vergeblich versucht hatten, das Lager insgeheim ohne Wissen der

Wachen zu umzingeln und die Verteidiger zu überlisten, begannen sie im Morgengrauen anzugreifen, doch als sie zum Ansturm sich anschickten, vermochten die besser disziplinierten Truppen der Römer, der alten Tugenden eingedenk, unter dem Kommando des frommen Tribunen nach Anrufung der Götter und lange unentschiedenem Kampf den Angriff abzuschlagen." Si, dementia captus, antiquo modo transferre vis, non is sum, qui te impediat. Sed mente delibera, quam eleganter novus modus palmam mereat: "Puer malus res non habeo".

Multos annos consumpsimus aegra lectione poetarum et philosophorum operum. Quis non anteferat in aqua gelida natate, cum aestas terram premit, quam de duratione animi et pristinis virtutibus doceri? Omnia iucunda tibi praebebuntur, si novum modum sequeris. Vide, qua celeritate hi libri digerantur:

Seneca, Epistulae morales:	res bonus
Catullus, Carmina:	malus puella
Vergilius, Aeneis:	puer bonus habeo res bonus
Ovidius, Ars amatoria:	bonus bonus puella
Horatius, Carmina:	puer bonus puella bonus amo
Tacitus, Germania:	res malus
etc.	

Et Helvetiae, patriae nostrae, auxilium prae-
 bebatur. Quis nescit omnibus nationibus carmen
 nationale opus esse? Nostrum carmen nationale
 neque cantari neque memoriae mandari possit. Quo-
 modo laudemur in gymnasticis victoriis (talem
 eventum rarissimum esse non nego)? Qua lingua?
 Nova lingua Latina nobis concinnam solutionem
 dabit (ne obliviscaris, quam elegans illud "CH"
 in natibus automobilium nostrorum vel illa "HEL-
 VETIA" tesserarum epistolarium): Ceterum nemo
 erit, qui neget et sensum acutissimum exprimi
 his strophis:

- I a stropha: sum bonus, sum bonus, sum bonus.
- II a stropha: bonus sum, bonus sum, bonus sum.
- III a stropha: bonus, bonus, bonus, sum sum sum.

Dr. Jürg Bleiker




SVBNOTO RVMOREM VARIVM
 (ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
 DONO DATVM ALICVI
 Factura subnotationis mit-
 tendenda est ad adressam infra
 stantem.
 (ich abonniere RVMOR VARIVS
 mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:



für



RVMOR VARIVS
 Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
 ET CHARTAM MITTE !
 DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
 Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/81

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXI

AVRILVS
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS